



**JURIS CANONICI
UNIVERSI,
CLARA METHODO JUXTA TITULOS**
quinque Librorum Decretalium in Quaestiones distributi, solidisque
Responsionibus, & Objectionum Solutionibus dilucidati,
LIBER QUINTUS.

PRÆFATIO.



OSTRQUAM in Secundo Libro Decretalium de ordine judicario in
causis civilibus observando, & in 3.º ac 4.º de materia, seu rebus tum
Clericorum, tum Laicorum, quæ in judicium Ecclesiasticum civile
deducuntur, tractatum fuit: pergit Compiler Juris Canonici hoc
Quinto Libro Decretalium ad discutienda ea, quæ in judicium Ec-
clesiasticum Criminale veniunt. Differt autem hoc judicium à Civi-
li: quia in civili non agitur super crimine, sed super re aliqua vel
jure debito; vel si quidem agatur super crimine, non tamen ad vindictam publicam,
sed ad interesse privatum. Judicium verò criminale est, quando agitur super crimine
ad publicam vindictam; id est, eo fine, ut Reus criminis publicè seu juridicè punia-
tur. De hoc igitur judicio criminali, quantum attinet ad Forum Ecclesiasticum, ex
professo tractat Liber Quintus Decretalium; in quo imprimis toto Titulo primo doce-
tur, quæ ratione actiones criminales sint instituendæ: dein agitur de variis delictis,
quæ ad Forum Ecclesiasticum deduci, ibique diffiniri, & puniri debent: tandem
etiam sequitur de poenis Ecclesiasticis, atque censuris in criminosos statutis. Et horum
quidem notitia adeò scitu est necessaria, ut plura eorum etiam Theologia à Jure Cano-
nico mutuèt: nos verò principaliora DEO FAVENTE discutimus.

TITULUS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus, &
Denunciationibus.

1 *Objectum Tituli præsentis.*

Præfens Titulus tractat de ordine seu tela judi-
carii Criminali, ponendo ea, quæ sunt pro-
pria sive in judicio criminali; nam reliqua, quæ
hoc judicium cum Civili habet communia, ex 2.
Decretalium Libro desumenda sunt. Cæterum ma-
Reiffenstuel Jus Cox. Tom. V.

teria præsentis Tituli est copiosissima, quam non-
nulli in integris Tomis declarant: nos præcipua, &
ad forum Ecclesiasticum magis spectantia, sequenti-
bus Paragraphis explicabimus.

§. I.

De variis modis procedendi contra Crimino-
sos, ubi etiam de Accusatione in specie.

S U M M A R I U M.

2 *Generatim duobus modis contra Criminosos pro-
ceditur.*

Lib. V. Decretal. Tit. I. De Accusationibus, &c.

- 3 In specie verò tribus, nempe Accusatione, Inquisitione & Denuntiatione.
4 Solvitur instantia.
5 Desinitur Accusatio Criminalis.
6 Plura ad eam requirantur, veluti I. ut fiat in scriptis: quod tamen hodie non attenditur.
7 II. Ut fiat apud competentem Judicem.
8 III. Ut exprimat nomen Judicis, Accusatoris, Accusati, delicti, mensisque, & annus, in quo commissum fuit.
9 Dies tamen & hora delicti necessariò non exprimitur.
10 IV. De Jure requiritur etiam inscriptio.
11 Secus de consuetudine.
12 In Religione nostra adhuc est in usu vi Statutorum.
13 V. Debet fieri ad publicam vindictam: in quo differt ab Accusatione Civili.
14 Accusatio Criminalis, in quo differat à Civili? item ab Inquisitione, & Denuntiatione.
15 Plures non possunt accusare.
16 Veluti I. Impubes: item Minores respectu adultèrii, non item aliorum criminum.
17 II. Mulieres.
18 III. Servi: & juxta aliquos filiifamilias.
19 IV. Clerici, Religiosi, nisi accusent suum Prælatum, qui ad litem etiam expensas subministrare debet.
Quomodo possint Religiosi & Clerici crimina aliorum accusare? Ibid.
20 V. Milites: & Membra Magistratùs superiorem non agnoscentes.
21 VI. Surdi & muti: item mente capti.
22 VII. Infames ac criminosi: & quomodo?
23 VIII. Criminaliter accusati: & quomodo?
24 IX. Excommunicati.
25 X. Inimicus capitalis accusans, & cohabitantes cum tali inimico.
26 Limitatur precedens doctrina.
27 XI. Merito suspecti: & quinam hi? item specialiter pauperes: & qui?
28 XII. Infideles, & hæretici nequeunt accusare Christianum.
29 XIII. Sanguine juncti: & quinam?
30 Omnes recensiti inhabiles accusare valent in certis criminibus: & quibus? Et: nun. seq.
31 Inhabilem potest Judex nullà factà instantià ex officio repellere.
32 An, & quando teneatur quis accusare Criminaliter?
33 Plures accusari nequeunt: veluti I. Carentes usu rationis.
34 Impubes accusari, & puniri valent, sed mitiùs.
35 II. Absentes: limitatur tamen hæc doctrina.
36 III. Mortui in ordine ad puniendos heredes.
37 IV. Superiorem non agnoscentes, uti Papa, Imperator, Reges &c.
38 V. Legati Imperatoris.
39 VI. Qui crimen jam præscripsit: quoniam crimina, & quando præscribantur? Ibid. Remissive.
40 Absolutus à Crimine, vel Accusatione de illo crimine, nec ab eodem, nec ab alio amplius accusari valet.
41 Limitatur tamen hæc doctrina in multis casibus, usque ad n. 50.
42 Accusator oblatò jam libellò non amplius potest desistere ab Accusatione.
43 Bene tamen ante libellum, si tantum minatus est Accusationem.
44 Deprehendens, se errasse accusando, tenetur in foro interno desistere.

- 53 Desistens punitur in foro externo, & quomodo? Accusatione factà potest, & debet Judex formare Processum.
54 Potest insuper, & debet Reum, etiam ante citationem carcerare, si est suspectus de fuga, aut si est periculum, ne subornet, vel impediatur testis.
55 Accusator tenetur plenè probare delictum: desiciens tenetur ad Talionis & alias penas, à quibus subinde excusatur. Remissive.
56 Accusatio respectu Accusati habet eosdem effectus, quos habet Denuntiatio respectu Denuntiati.

Quæritur I. Quibus generatim modis in foro Canonico procedatur contra Criminosos? Resp. I. cum Alphonso Vigilul. Lib. 10. Præctica Canonica criminalis, concl. 1. & aliis, id generatim fieri duobus modis, nimirum vel ad instantiam partis vel ex officio Judicis. Priori modo Judex procedit, quando pars offensa, vel alius, ad quem de Jure spectare potest seu querelam, & super ipsa postmodum per judicium proceditur. Posteriori modo, sive ex officio Judicis id fit, quando Judex ex se ipso, seu ex officio suo inquit, seu assumit informationem contra Delinquentem, & contra eum procedit.

Resp. II. Magis loquendo in specie sunt tres potissimum modi, quibus crimina in judicium deducuntur, videlicet Accusatione, Inquisitione, & Denuntiatione, cap. qualiter. 24. §. penult. h. t. ibi: Contra quos (Criminosos) tribus modis posse procedi: videlicet per accusationem, denuntiationem, & inquisitionem ipsorum, quod idem habetur c. Licet. 31. prin. de Simon. de quibus tribus modis proinde loquitur Rubrica præsentis Tituli. Dico notanter, tres potissimum modi: nam addi debent alii duo modi deducendi crimina in judicium, nimirum ope exceptionis c. 9. h. t. & processu sine ordine, ut fit, quando Reus in flagranti crimine apprehenditur; aut quando delictum est notorium, arg. can. prohibemus. 14. & can. 16. eiusd. 2. q. 1. ac amplius patebit infra §. 5.

Nec dicas, c. Super his. h. t. tres tantum modos, & quidem alios à supra dictis tribus enumerari à Pontifice, quem tamen non est censendum mutilare vel male locutum, dum ait: Respondemus, quod tribus modis valet crimen opponi, denunciando, excipiendo, & accusando. Resp. enim cum Abbate ibidem §. in Glossa 1. & aliis Doctoribus, quod aliud sit querere, quot modis possit agi de crimine, aliud opponere crimen: nam opponere crimen denotat factum partis adversæ, nec propriè fit nisi aliquo istorum trium modorum; sed agi de crimine potest omnibus quinque modis, quibus crimina in judicium deducuntur.

Quæritur II. Quid sit accusatio Criminalis? quomodo fieri debeat? & in quo differat ab actione, & accusatione Civili, & à Denuntiatione, ac Inquisitione? Resp. I. Accusatio Criminalis est criminis alicujus apud Judicem competentem legitime facta delatio ad publicam vindictam. Ita in re communis, arg. l. fin. C. h. t. quamvis alii addant interveniente inscriptione, tamen hæc verba omittimus, quia implicitè continentur in verbo legitime; prout & tota definitio statim patebit ex responsione sequenti.

Resp. II. Ad hoc, ut accusatio Criminalis legitime fiat, requiruntur plura. Patet inductione. Nam I. Requiritur, ut Accusatio Criminalis fiat in scriptis per libellum ritè formatum. l. Libellorum 3. ff. h. t. & can. 1. caus. 2. q. 8. ibi: Accusationes nunquam recipiantur sine scripto. Nisi crimen sit de leviore.

§. I. De variis modis procedendi contra Criminosos &c.

leioribus, utpote quæ in scriptis accusare necesse non est; cum de plano dicitur, arg. l. Leviore. 6. ff. eod. Imò vigore hodiernæ consuetudinis communiter receptæ, etiam de gravioribus criminibus sine scriptura oretenus Accusatio fieri potest, teste Julio Clar. §. fin. q. 12. n. 6. & 7. Salcet. in l. penult. C. h. t. Azor. p. 3. lib. 13. cap. 19. dub. 2. Fiching h. t. n. 2. & aliis; dummodo Accusatio, seu querela oretenus proposita, per Notarium, vel Actuarium publicum in scriptis redigatur, & de reliquo serventur servanda, prout vult Constitutio Caroli V. art. 5. 89. & seqq. beneque advertit Clarus loc. cit. Cæterum cur Jura velint, ut Accusatio in scriptis fiat, ratio est: tum ut constet, quid Accusator probare debeat, & ne quid mutare valeat, si videt, se in probatione desicere, tum etiam, ut Judex Accusationi conformiter sententiam facilius ferre queat, prout debet.

II. Requiritur, ut fiat apud competentem Judicem; secus enim processus & sententia foret nulla, l. 1. §. l. fin. C. si non competet. Hoc dictum est in definitione, apud Judicem competentem.

III. Requiritur, ut exprimat nomen Judicis, apud quem fit accusatio; quatenus cognosci valeat, an sit competens. Item nomen Accusatoris, & Accusati; ut appareat, an sint tales, qui accusare, vel accusari possunt: nec non species delicti: sicut etiam locus & tempus delicti, annus saltem, & mensis, in quo perpetratum fuit; prout aperte liquet ex can. fin. C. libellorum, cau. 2. q. 8. & l. libellorum 3. ff. h. t. Ratio est: tum ne Accusatio vaga & obscura fiat: tum ne Accusato delicti occasio defendendi se: tum etiam ut videat valeat Judex, an Crimen non jam sit præscriptum: quod si unam ex memoratis circumstantiis omittatur, libellus tanquam vitiosus ex officio rejici debet, Carolus loc. cit. q. 12. n. 9. Gailus l. Observat. 64. num. 9. & seqq. Et hæc omnia de substantia Accusationis esse, cum communi docet Clarus lib. 5. §. fin. q. 12. n. 9.

Expressio tamen diei & horæ, in qua delictum commissum fuit, necessaria non est, cit. l. 3. ff. h. t. ibi: Neque autem diem, neque horam invitum comprehendit. Nisi forsitan talis expressio Accusatori facilius, & Accusato ad sui defensionem utilis, aut necessaria foret, eamque propterea exigeret Accusatus; hoc enim in casu etiam diem & horam Reo exigente exprimi debere, bene advertit Farinacius Reor. defens. 3. cap. 3. n. 7. & 10. cum aliis.

Requiritur tamen, ut exprimat dies, & à fortiori annus Accusationis factæ per Jura num. præcedenti allegata. Quod etiam de substantia requiri, bene docet Ameno Tit. X. §. Denuntiatio §. 4. q. 4. n. 34. Tum quia in Jure, ubi præscribitur forma, requiritur dies, cit. l. 3. ff. h. t. Tum quia bene potest contingere, ut valor Processus à die hæc dependeat; ut si tali die Judex fuisset suspensus, vel Accusator, inimicus Accusati &c. Et quamvis Clarus in aliquo putet, non esse de substantia apponere diem Accusationis, tamen id omnino fieri debere fatetur. Imò hæc omnia de substantia Accusationis esse, cum communi docet Clarus lib. 5. §. fin. q. 12. n. 9.

IV. De Jure requiritur Accusatoris inscriptio, seu subscriptio, qua se obligat ad crimen obiectum probandum, vel, si in probatione defecerit, ad penam Talionis, id est, ad subeundam eandem penam, quam Reus pati debuisset, si crimen probatum fuisset, c. Super his. 16. hoc tit. can. Quisquis 3. & can. Qui crimen. 4. cau. 2. q. 8. Junct. l. Si cui. 7. ff. hoc tit. ibi: Si cui crimen obiciatur, precedere debet in crimine subscriptio. Ratio ibidem additur illis verbis: Quæ res ad id inventa est, ne fa-

ciat quis proliat ad Accusationem; cum sciat, inultam sibi Accusationem (si esset injusta) non futuram.

Verum de facto hæc inscriptio non amplius est in usu, sed per contrariam consuetudinem abrogata, & pena Talionis in arbitriam, & extraordinariam commutata: quia propter Talionis penam multi etiam à justa Accusatione fuere deterriti, & sic delicta manserunt impunita cum gravi Reipublicæ damno, prout cum aliis optime advertit Clarus in Prax. Crimin. lib. 5. §. 2. q. 81. n. 3. Covarruv. Var. Resolut. lib. 2. cap. 9. num. 9. Gailus lib. 1. de Pace publ. cap. 9. n. 3. Felinus in c. Super his. h. t. num. 5. Si quis tamen convinceretur, quòd innocentem verè malitiosè accusasset, aut denuntiasset, penam Talionis sustinere adhuc debet vigore Constitutionis Pii V. Cum primùm, innovantis penam Talionis. Quamvis enim ibi tantum sit sermo de objectione criminum sodomix, blasphemix, & concubinatùs, tamen dictam Constitutionem etiam ad Accusatores de aliis criminibus extendit Passerinus Tribunal. Regul. q. 7. n. 44.

Illud certum est, penam Talionis adhuc pro-cedere, & infringi debere in illis locis, vel Religionibus, ubi speciatim de illa extant Statuta, prout est in Religione nostra Seraphica; Nam Statuta Generalia cap. 7. §. 6. n. 26. & 27. penam Talionis iustis de causis præcipiunt illis verbis: Penam talionis puniri debent, qui falsum restantur, & etiam accusatores qui crimen obiectum legitime, ac sufficienter non probaverint, quia puniri debuissent accusati, si crimen contra eos obiectum legitime probatum fuisset: quia penam etiam puniantur, qui scienter de crimine aliis sufficienter punito, quempiam accusaverint, à quibus aliis accusatus judicialiter, ac ritè fuit absolutus juxta Decreta per Constitutionem S. Damasi Pape. Et quia hæc Apostolica S. Damasi Pape Constitutio ad præcludendam calumniam, ac impossuris, ac indebitis vexationibus viam, & ad calumniatores, & impostores justè compescendos, valde opportuna quidem & salutaris est, ideò ab omnibus Ordinibus Superioribus & Prælati sub gravi suspensionis pena, vel etiam privationis contrasacramentis, aut negligentibus subeunda, eam servari omnino præcipimus.

V. Requiritur, ut Accusatio fiat ad publicam vindictam, quatenus videlicet ob bonum publicum, ad terrorem, & exemplum aliorum Reus publice puniatur penâ corporali, aut penâ pecuniaria Fisco applicanda, vel privetur dignitate, officio, beneficio &c. Quando quidem Delatio criminis non ad publicam vindictam, sed solummodo ad satisfactionem & utilitatem illius, qui damnus est, aut injuriam passus est, jam non Accusatio Criminalis, sed Accusatio seu Actio Civili est; possunt namque crimina non tantum criminaliter, sed etiam Civiliter in judicium deduci, §. In summa. 10. Insit. de Jurejur. Et ex his facile patet responsio ad tertiam partem Quæstionis.

Resp. ergò III. Accusatio Criminalis differt ab Accusatione, seu Actione Civili, quòd illa intendat vindictam publicam, hæc verò commodum, aut satisfactionem Agentis, vel Accusantis, aut injuriam vel damnum passi. A Denuntiatione differt; tum quia hæc de Jure non requirit inscriptionem, nec tantas solemnitates, uti Accusatio, ut bene advertit Gonzalez in c. 1. h. t. n. 6. arg. c. Super his. 16. eod. Ab Inquisitione differt; quia hæc ex officio Judicis, Accusatio verò in instantiam partis inchoat; prout amplius §. II. & III. alique differentix patebunt.

Quæritur III. Quinam Criminaliter accusare possunt? Resp. Omnes posse, qui ob ætatem, sexum,

sexum, statum, officium, defectum, delictum, suspitionem calumnia, sanguinis conjunctionem, vel reverentiam, a jure non prohibentur, prout habetur can. Prohibentur 4. cau. 2. q. 1. & l. Qui accusare. 8. ff. h. t. uti amplius de singulis patebit ex statim dicendis.

16 I. Ob defectum aetatis accusare non potest impubes seu pupillus cit. can. 14. cau. 2. q. 1. & l. 8. ff. h. t. ibi: Alii propter aetatem ut pupillus. Minor autem 25. annis excluditur ab accusatione adulterii, nisi ipsius proprium Matrimonium esse violatum, l. Si maritus. 15. §. 6. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. ibi: Lex Julia de Adulteris specialiter quosdam adulterii accusare prohibet, ut Minorem 25. annis. Ratio additur: Nec enim visus est idoneus accusator, qui nondum robusta aetate est: Quod ita verum est, si non matrimonium sui injuriam prosequatur. Quia vero Minores a sola hac Accusatione excluduntur, & exclusio unius sit inclusio alterius, alia crimina accusare bene poterunt, dummodo illius sint aetatis, quod postulare, seu in publicum procedere valeant, videlicet 17. annorum, l. 1. §. 3. ff. de Postuland. eisque assistat Curator l. Clarum. 4. C. de Authorit. prafan. & bene docet Clarus §. fin. q. 14. n. 7. Addens consuetudine hodierna indistincte admitti omnes Minores ad accusandum, dummodo 14. annum expleverint.

17 II. Ob sexum ab accusando repellitur mulier cit. can. Prohibentur. 14. cau. 2. q. 1. §. l. 8. ff. h. t. ibi: Alii propter sexum ut mulier, nisi accuset de criminibus exceptis, juxta dicenda inf. a n. 30.

18 III. Ob statum ab accusando repelluntur servi: cum enim hi nequeant agere civiliter, l. Servus. 6. C. de Judiciis. multo minus criminaliter. Ob statum aliqui cum Glossa in l. fin. pr. §. Necessitate. C. de Bonis, quae liberi. volunt, filiumfamilias sine consensu patris accusare non posse, Farinac. Prax. Criminal. Tit. de Accusat. q. 12. num. 10. Bartol. in l. Inter liberos. 6. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. Clarus in Praef. Crimin. §. fin. q. 14. num. 5. Alii filiumfamilias etiam sine consensu patris ad accusandum admittunt ex illa ratione; quia Accusatio pertinet ad jus publicum, causam nempe publicam, in iis vero, quae ad jus publicum spectant, non attenditur jus patris potestatis, l. Filiusfamilias. 9. ff. de His, qui sui, vel alieni. cum Concordant. Hinc Clarus loc. cit. ait, se in praxi de hac doctrina nunquam dobitari vidisse. Illud certum est; quod filiusfamilias cum consensu patris accusare valeat.

19 Rursus ob Statum criminaliter accusare non possunt Clerici & Religiosi, can. Sacerdotes. 51. cau. 2. q. 7. cau. Sicut. 6. ead. cau. §. q. praesertim si infligenda esset poena sanguinis, c. Sententiam 9. Ne Clerici vel Monachi. Et licet ad arcendam suam, suorumque injuriam, vel pro utilitate Monasterii etiam Laicos accusare valeant, tamen si esse causa sanguinis, debent expressè protestari, se non agere ad publicam vindictam, sed praesise ad avertendam damnam; aliis peccarent mortaliter, & secuta morte, vel mutilatione, accusantes fierent irregulares, c. 2. de Homicidio, §. c. 12. eod. in 6. Religiosi tamen ab Accusatione sui Praelati nullatenus sunt repellendi, ut dicitur c. Ex parte. 11. hoc tit. quia interest Monasterio, ne malum habeat Praelatum. Hinc tenetur Praelatus etiam ministrare expensam pro lite contra se mota, cit. c. 11. h. t. & ibi Glossa §. Alii, communiter recepta.

20 IV. Ob officium accusare nequeunt primò Milites, cit. l. 8. ff. h. t. ne occasione Accusationis à signis & castris avocentur. Secundò Magistratus Membra l. 8. ff. h. t. ibi: Alii propter Magistratum: cum enim hi ob potestatem in jus vocari, seu

accusari nequeant, cit. l. 8. ff. h. t. aequum non videtur, quòd ipsi alios accusare valeant. Id tamen cum communi Doctorem intellige de Magistratu more Romanorum, supremam potestatem & jurisdictionem exercent, & alium Superiorem non agnoscente; non item de Magistratibus inferioribus, & Judicibus ordinariis Superiorem h. b. entibus, & cognoscitibus, l. Nec Magistratibus. 22. ff. de Jurejur. & l. de Ordinando. 4. C. de Offic. Praefect. praet. Orient.

V. Ob Defectum corporis scilicet vel animi accusare non possunt primò Surdi & Muti à natura, arg. l. 1. §. 3. ff. de Postulan. Secundò furiosi, & mente capti, quia, quae geruntur, non intelligunt. l. Dummodo. 2. §. 1. ff. de Procurat. & mortuus equiparantur. l. Qui ad certam. ff. Locati.

VI. Ob Delictum ab accusando repelluntur primò 22 infames, & criminosi, ut cit. l. 8. ff. h. t. ibi: Alii propter delictum, ut infames, c. Infames. 17. cau. 6. q. 1. Ubi tamen differentia est inter Jus Civile & Canonicum. Nam Jure Civili soli illi infames ab accusando repelluntur, qui laborant infamia Juris, id est, tales, qui per judicium publicum infamiam irrogant, damnati sunt, aut qui ex delicto aliquo infamiam ipso jure, & absque damnatione contrahunt, l. Is qui 4. ff. hoc tit. De Jure Canonico autem non tantum infames infamia Juris, sed etiam infamia facti, & criminosi nondum accusari, aut condemnari, arg. can. Si qui sunt 17. & can. quarendum. 18. cau. 2. q. 1. juncto c. Cui in tua 27. de Sponsal. Clarus §. fin. q. 14. n. 9.

VII. Dein ob delictum actu jam accusatus, nequit accusare alium, vel reaccusare suum Accusatorem, si jam est facta litis contestatio; nisi prius purgaverit se, & appareat innocens, can. 1. §. 3. cau. 3. q. 11. c. fin. de Test. ibi: Cum etiam accusati (nisi prius se probaverint innocentes) ab accusatione repellantur; & l. Neganda. 19. C. de his, qui accusar. vel nisi majus crimen illo, de quo ipse fuit accusatus, suo Accusatori, vel alteri objiciat. l. 1. C. eod.

VIII. Uterius ratione delicti accusare non possunt excommunicati, can. Omnes. 6. cau. 3. q. 4. cau. 1. §. 3. cau. 4. q. 1. c. Intelleximus. 7. de Judic. §. c. 1. de Except. quod extendunt communiter etiam ad casum, quo suam aut suorum injuriam prosequantur, idque ut contumaciae vitium reprimatur.

IX. Ob suspensionem calumniae ad accusandum non admittuntur inimici, non quidem leves, sed graves & capitales, can. 2. cau. 3. q. 5. ibi: Accusatores, & testes esse non possunt, qui inimici fuerunt: ratio additur: Ne irati nocere cupiant, aut laesi se ulcisci velint: concordat c. Meminimus. 13. & c. Cui oportet. 19. h. t. Imò etiam cum inimico Accusati cohabitantes, aut frequentes versantes ab Accusatione repellantur, can. Accusatoribus. 3. cau. 3. q. 5. ibi: Accusatoribus inimici, vel inimicis domo prodeuntibus, vel qui cum inimicis immorantur, aut suspecti sunt, non credantur, ne irati nocere cupiant, vel laesi ulcisci se velint, & c. 7. h. t. ibi: Repellantur ab accusatione cohabitantes inimicis. Nam amici Accusatoris censentur esse inimici Accusati, can. 1. dist. 93. Nec refert, quòd Accusatus culpa sua dederit causam inimicitiae; nihilominus enim excipere potest contra inimicum Accusatorem; dummodo ex fraude & dolo; ut nempe Accusatorem repellere possit, causam inimicitiae non dederit, prout bene advertit Abbas in c. Repelluntur. 7. h. t. n. 5.

Limitatur tota doctrina praeced. num. in casu, quo quis accusat suum inimicum ob injuriam, quod damnum sibi illatum; talis enim Accusator, si repelleretur, nullus potest alterum ob grave vulnus, v. g. credem, aut injuriam sibi, suisve illatam accusare; cum

§. I. De variis modis procedendi contra Criminosos &c.

cum ex hoc plerumque inimicitia oriatur, ut bene advertit Mascardus de Probat. concl. 899. à num. 1. Menochius de Praesumpt. lib. 5. Praesumpt. 43.

27 X. Ab accusando repelluntur propter suspensionem calumniae illi, qui aliquando falsum testimonium subornati dixerunt l. Alii 9. h. t. Item qui semel calumniati sunt l. si cui 7. §. 3. h. t. Item qui pecuniam recepit, ut Reum accusaret, aut ne ipsum accusaret, l. si qui 4. §. l. 8. ff. h. t. sicut etiam pauperes, qui minus, quam quinquaginta aureos in suis bonis habent, l. Nonnulli 10. ff. h. t. ibi: Nonnulli propter pauperem, ut sunt, qui minus quam quinquaginta aureos habent; nisi tam honeste essent vitae, & bonae famae, ut ab omni suspitione merito censentur liberi: tales enim pauperes sicut admittuntur ad ferendum testimonium, juxta dicta lib. II. Tit. XX. de Testib. n. 100. ita etiam ad accusandum, prout bene advertit Menochius de Arbitr. Judic. & praxis comprobatur. Quinam autem pauperes suspecti, vel à suspitione liberi habendi sint. Judicis judicio remittitur, can. si qui. cau. quarendum 18. cau. 2. q. 1.

28 XI. Ob suspensionem calumniae Pagani, heretici, sive Judaei non possunt Christianos accusare, aut vocem eis infamiationis inferre, can. Pagani 24. caus. 2. q. 7.

29 XII. Ob conjunctionem sanguinis & reverentiam liberi accusare non possunt parentes, Novell. 115. cap. 3. §. 3. Nec contra parentes, liberos, arg. l. 3. C. de Parvis potestas. Nec fratres, aut sorores invicem, l. si inquam 13. C. de his, qui accusare non possunt. Nisi crimen sit leve l. si sororem 18. C. eod. Nec liberi patronum, aut ejus heredem, l. qui accusare 8. ff. h. t.

30 Hi tamen omnes (exceptis privatis ratione per dicta n. 21. & excommunicatis, per dicta n. 24.) si suam injuriam exequantur (id est, si contra injuriam sibi illatam agant) mortuorum propinctorum defendunt, ab Accusatione non excluduntur, l. Hi tamen 11. ff. h. t. Item quando agitur de crimine laesae Majestatis, vel alius atrocissimi, vel exceptis; qualia sunt, quae directè sunt contra Deum, ut blasphemia, Apostasia, haeresis, simonia, magia, sacrilegium; vel magis adversantur bono publico, ut crimen laesae Majestatis, Rebellionis, Larcinii, falsae Monetae, fraudae Annois, falsi Testamenti &c. arg. l. 7. §. 8. ff. ad Leg. Jul. Majest. l. vis certis ff. de Iudic. l. 2. §. 13. ff. h. t. c. 7. de Simonia c. 10. de Heret. l. 10. C. de Episc. & Cler. &c. de quibus amplius vide lib. II. Tit. XVIII. de Confess. à num. 99. & Canonitas. Solum nota, Clericos, & Religiosos etiam in his criminibus ad publicam vindictam & poenam sanguinis criminaliter accusare non posse, per dicta: sed, si propria aut Ecclesiae utilitas Accusationem exigit, debere expressè protestari contra poenam sanguinis, juxta dicta supra num. 19. & textum expressum, c. 2. de Homicid. in 6.

31 Advertitur insuper Decian. Tr. crim. lib. 3. cap. 25. n. 6. §. 8. Capitales inimicos etiam à criminum exemptorum Accusatione esse repellendos: etsi enim Republicae maxime interesset, ne crimina ista excepta maneat impunita, eadem tamen non minus interest, ne quis injustè damnetur, quod facile fieret, si capitales inimici ad accusandum inimicum in criminibus praefatis admittentur. Reliqua de inimicis vide supra n. 26. §. 27.

32 Queritur IV. An supra specificati ad accusandum inhabiles, ab Accusatione repelli possint non tantum, si accusatus contra talem excipiat, sed etiam nemine excipiente ex solo officio Judicis? Resp. Affirmativè c. 1. h. t. ubi universaliter traditur: Si legitimus non fuerit accusator, non fatigetur accusatus. Quòd si tamen contra talem nec Accusatus

excipiat, nec Judex illum repellat, valet Processus; prout cum communi observat Clarus §. fin. q. 15. n. 4. Pishing h. t. n. 17.

Porro si Reus contra Accusatorem excipiat, debet id facere ante litis contestationem; quia postea non amplius audietur, Abbas in c. 1. h. t. n. 2. arg. l. Si maritus. §. Praescriptiones. ff. de Adult. Nisi prius ignorarit, sibi competere exceptionem, ut bene ibidem limitat Abbas arg. c. Nulli de elect. in 6.

Queritur V. An, & quando quis obligetur ad accusandum? Resp. quamvis privatorum nemo invitus agere, vel accusare cogatur, ut dicitur l. un. C. Ut nemo invitus. Nihilominus, si crimen aliquod in grave damnum spirituale, aut temporale Republicae vergens, nec Denuntiatione, nec monitione, nec alio modo, quàm accusatione averti potest, tenetur privatus quoque, cum proprio etiam damno accusare; dummodo crimen probare valeat; ita communis cum D. Thoma 2. 2. q. 68. a. 1. can. Quapropter. 47. cau. 2. q. 7. & ibi Glossa §. Deferre. Ratio est; quia quisvis tenetur, si potest, malum avertere, per Jur. allegata infra §. 2. n. 106. & bonum privatum postponere bono publico, per Vulgaria.

Queritur VI. Quinam possint accusari? Resp. 34 Sicut non omnes accusare, sic non omnes accusari possunt. Patet inductione, Sic enim l. Accusari nequeunt, qui ad delinquendum usum rationis carent, ut sunt infantes, furiosi, amentes, l. Quid infans. 60. ff. de reivindicat. l. Infans 12. ff. ad Leg. Cornel. de Sicut.

Aliud est de delictis illorum, qui usum rationis jam habent, hi enim, etsi adhuc Minores, vel etiam impuberes sint, accusari & puniri possunt, poena tamen mitiori, h. b. rati aetatis, & imprudentiae, c. 1. de Delictis puer. l. Auxilium ff. de Minorem. & l. Ferè ff. de R. J. ibi: Ferè in omnibus penalibus Judicis, & aetatis, & imprudentiae succurritur.

II. Accusari absentes non possunt cum eff. 36 ita ut contra illos sicut Processus, & feratur sententia can. 1. cau. 2. q. 8. ibi: Nec absente eo, quem accusare voluerit, quilibet accusare permittatur. l. 1. prim. ff. de Requir. §. absent. dam. ibi: Rescriptum est; ne quis absens puniatur, & hoc jure utimur, ne absentes dimittantur. Ratio ibidem subjungitur illis verbis: Neque enim inaudita causa quemquam damnari, aequitatis ratio patitur. Potest tamen absens ad eum effectum accusari, ut à Judice legitime citetur, l. 1. §. 2. ff. eod. quo dein ad diem deputatur non comparet, annotatur, seu legitime describuntur, obliquantur, & arrestantur ejus bona; quae habet, cit. l. 1. §. 2. Et si contumaciter non comparet, potest etiam puniri poena pecuniaria, infamiae, ac relegationis, non item graviori poena capitis v. g. aut Metallis &c. textu expresso l. 5. ff. de Penis, & c. Veritatis 8. de Dolo & Consum. Imò si citati intra annum, qui ad se defendendos eis conceditur, l. 1. ff. & C. de requir. Reis non compareant, bona ejus arrestata sisco remanent, l. fin. ff. de requir. vel absent. dam. nisi contumaciam purgaverint, probando legitimum non comparendi impedimentum, arg. l. Succurritur. 9. ff. Ex quibus causis major.

III. Accusari non potest Mortuus, l. fin. ff. ad 37 Reg. Jul. Majest. ubi ratio additur ibi: Extinguitur enim crimen mortalitate. Accedit, quòd etiam delicta suos tantum tenere debeant Authores, per vulgaria. Unde nec Accusatio, nec poena ad heredes transit, etsi Accusatio jam inchoata, & lis contestata, non tamen condemnatio secuta fuerit, l. Ex judicatorum. 20. ff. h. t. nisi forte quis Majestatis

38 Iste reus fuit; nam hoc crimine, nisi a Successori- bus purgetur, hereditas Episcopi vindicatur, ut expresse statuitur cit. l. fin. ff. ad Leg. Jul. Majest. & cit. l. 20. ff. h. t.

39 IV. Accusari non possunt illi, qui superiorem se non agnoscunt, uti Papa, c. Nemo. 13. can. 9. q. 3. ibi: Nemo iudicabit primam Sedem. Neque enim ab Augu- stino, neque ab omni Clero, neque a Regibus, neque a populo Index iudicabitur, & can. Aliorum 14. can. Facta. 15. eod. can. Et q. ibi: Facta Subditorum iudicantur a Nobis, nostra vero iudicat Deus. Item Imperator, qui tamen civiliter accusari potest iuxta Bullam viream cap. 5. §. 3. ibi: Imperator, siue Rex Romanorum super causis, super quibus impetratus fue- rit, habeat, sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatino Rheni sacri Imperii Archidapifero Electore Principe respondere. Item Reges Superiorem non agnoscunt, ut sunt Rex Gallie, Hispanie &c.

40 V. Durante officio accusare non licet Legatum Im- peratoris, id est, Praesidem Provinciae: item Legatum Provinciale, l. Hos accusare 12. ff. h. t. Tenetur ta- men talis reus criminis cautionem prestare de iudicio sibi, finito aliquando officio, l. Si adulterium. 38. §. fin. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.

41 VI. Accusari non possunt, qui crimen, seu actionem, seu inquisitionem criminalem praescriperunt. Quo autem tempore crimina, & actiones criminales praescribantur, ita ut Reus criminaliter accusari, in- quiri, aut denunciari non amplius possit, vide Lib. II. Tit. XXVI. de Praescript. a n. 174.

42 VII. Qui de aliquo crimine iam absolutus, vel condemnatus est, de illo nec ab eodem, vel ab alio Accusator accusari potest, c. de his. 6. h. t. ibi: De his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatus replicari. Concordat l. licet ff. Nave- cae caupones. & l. Sanctio 41. ff. de Penis. Ratio est; quia ab eodem delicto hominis saepius queri non debet, ut dicitur cit. l. Licet. Idque ad imita- tionem Divinae Clementiae, quae dimissa semel pec- cata, in ultionem redire non patitur, can. Si illie. 29. can. 23. q. 4.

43 Limitatur tamen haec doctrina I. Si secundus Accu- sator docet, priorem non fideliter egisse, sed praev- aricatum fuisse, l. 3. §. 1. ff. de Praev. l. Si quis Homicidii. C. de Accusat. aut collusionem inter- cessisse, c. fin. h. t. Nam si hoc non liceret, facile possent duo colludere, & personam Accusatoris assu- mens, falsas aut infirmas probationes adducere, ve- rasque dissimulare, ut Reus inde absolutus a nullo amplius accusari possit.

44 Limitatur II. Quando secundus Accusator suam, vel suorum injuriam persequitur, simulque docet, se ignorasse Accusationem ab alio institutam, l. Si cui. 7. §. 2. de Accusat. ubi ratio additur: Quoniam res inter alios iudicata, aliis non prae- iudicant.

45 Limitatur III. Si Reus tantum est absolutus ab observatione iudicii; quia v. g. in habilis erat Accu- sator, aut ineptus libellus l. 3. ff. h. t.

46 Limitatur IV. Si quis non per sententiam, sed per viam Transactionis fuit absolutus; tunc enim saltem ab alio denuo accusari poterit, Clarus §. fin. q. 57. n. 6. Abbas in c. De his. h. t. n. 3. Covarr. lib. 2. Var. Resolut. cap. 10. n. 1.

47 Limitatur V. Si quis fuit absolutus per viam Ex- ceptionis, quam Reus excipiendo proponit contra aliquem, non ut puniatur, sed ut a testificando, vel accusando repellatur, Covarr. loc. cit. n. 5. Decian. Tract. crimin. lib. 3. cap. 30. n. 2. in fine, & c. 2. de Ordin. cogniz.

48 Limitatur VI. Si Reus tantum est absolutus quoad forum internum; tunc enim in foro externo accu-

sari & puniri omnino potest, Abbas loc. cit. n. 3. Covarr. loc. cit. n. 3. cum communi & certa praxi- que recepta.

Limitatur VII. In criminibus mixti fori. Nam si quis in uno foro Ecclesiastico v. g. absolvitur, vel condemnatur, potest adhuc in altero accusari & puniri; saltem si in priori foro poena condigna non fuit imposita, Abbas in cit. c. De his. h. t. cum communi aliorum, arg. c. Felicit. 5. §. Per hoc quoque, de Pe- nis, in 6. Ratio est; quia Jurisdictione Ecclesiastica & Secularis sunt proflus separatae ac distinctae, adeo- que sententia lata in uno foro, non parit Excep- tionem in altero.

Dicitur notanter, saltem si in priori foro poena con- digna non fuit imposita; prout plerumque fit in foro Ecclesiastico, utpote quod semper mitius ponit, arg. can. Admonere 3. can. 33. q. 2. vel non nisi poeni- tentiam medicinalem, v. g. excommunicationem im- ponit: Si enim in uno foro poena iam sufficiens & proportionata delicto fuit imposita, in alio foro acu- sari & puniri non amplius potest. Covarr. loc. cit. Joan. Andreas in cit. c. Felicit. de Penis, in 6. Abbas in c. Tuae de Procurat. textu speciali c. fin. de Except. in 6. Et per istam sublimitationem opumee con- cordantur Doctores.

Alia limitationes vide apud Covarruviam lib. 2. variar. Resolut. cur. 10. per totum.

Queritur VII. An possit quis desistere ab Accusa- tione iam inchoata? Et quis poenas desistens incur- rat? Resp. I. Post litem contestatam, vel saltem post libellum iudici oblatum, Accusator in foro ex- terno Accusationem impune deserre non potest, l. In Senatusconsultum 15. §. 5. ff. ad S. C. Turpil. & Auth. qui semel. C. Quomodo Et quando, l. Mi- les. 11. §. 3. ff. ad Leg. Jul. de Adult. Ratio est; quia interest Reipublicae, ne deseratur Accusatio se- mel coepta, siue vera sit, siue falsa: si enim vera est, eam prosequi oportet, ne delicta maneant impuni- ta; si falsa, eam prosequi expedit, ut Communi- ter debite puniatur, ut bene advertit Vallesius h. t. §. 2. n. 8.

Resp. II. Ante libellum oblatum, licite, & impu- ne quis desistit ab Accusatione, etiam si prius publice dixerit, se accusaturum. Imponitur tamen eidem perpetuum silentium, ita ut amplius de tali crimi- ne Reum accusare non possit, c. Licet 14. h. t. ubi Summarius sic habet: Dicens, se aliquem accusatu- rum coram Iudice, ante inscriptionem potest sine pa- na desistere, & non accusare, sed ei desistenti imponi- tur silentium perpetuum. Concordat cit. l. Miles. ff. ad Leg. Jul. de Adult. & l. Miles. 6. C. de his, qui accusat.

Resp. III. Si quis falso accusavit, vel bona fide quidem, deprehendit tamen, se errasse, & Accu- satum esse innocentem, vel incipiat dubitare, si facta diligenti inquisitione dubium perseverat, in foro interno non tantum potest, sed etiam tenetur desistere ab Accusatione. Communis & certa ex Tit. de Calumn. Ratio patet; quia alias calum- niaretur. In foro externo tamen incurrit Iuris poenas.

Resp. IV. Ab Accusatione criminis publici post oblatum libellum desistens tenetur ad expensas, l. Qui crimen. 3. C. de his, qui accusat. Incurrit infamiam, l. Si pro eo 2. C. de his, qui accus. & poenam librarum auri Fisco restitueudarum, l. Praev. l. 3. in fine. ff. de Praev. l. Si quis vero desistat ab Accusatione criminis privati, poenam extraordina- riam Iudicis arbitrio incurrit, l. Si quis 7. §. 1. ff. ad S. C. Turpill.

Queritur VIII. Quinam sint effectus Accusa- tionis? seu quid operetur, & quas obligationes, favores, vel odia causet, tam respectu Iudicii, quam

quam respectu Accusatoris, & Accusati? Resp. I. Primus effectus respectu Iudicis est, quod facta Accu- satione possit, ac etiam tenetur Index incipere processum capiendi informationem, citando Reum, aliaque faciendo, quae ad Processum requiruntur, iuxta dicenda patet Conclusio in dicendis infra §. seq. num. 125. ubi dicemus, teneri Iudicem ad faciendum Processum facta sibi Denuntiatione Judi- ciali; ergo multo magis facta Accusatione, utpote quae fortior est illa.

Alter effectus est; quod possit ac debeat Reum, etiam ante citationem incarcerare custodiz causa, si est suspectus de fuga, vel si merito timendum, ne testes subornet, impediatur, terreat &c. iuxta dicenda infra §. seq. n. 127.

Resp. II. Effectus Accusationis respectu Accusa- toris est, quod tenetur delictum, de quo accu- savit, probare, probatione plenam ac perfectam, & quae sit luce meridiana clarior, uti expresse statuunt Jura, l. fin. C. de Accusat. can. Sciatur. 2. can. 2. q. 8. ibi: Sciatur civitati Accusatores, eam se rem de- serere debere in publicam notationem, quae munita sit idoneis testibus, vel instrumta aperivissis documentis iudicis ad probationem indubitatis, & luce clariori- bus expedita. Quod si non probet, ad poenam Ta- lionis tenetur iuxta dicta supra n. 10. 11. & 12. nec non ad alias, de quibus Tit. sequenti de Calum- niatoribus a n. 6. ubi etiam dicemus, quoniam etiam deficiens in probatione excusetur a poena Ta- lionis, & alius.

Quid autem sit, & quando censatur plena probatio haberi, vide Lib. II. Tit. XIX. de Proba- tionibus.

Resp. III. Accusationis effectus ratione Accusati sunt iidem cum effectibus Denuntiationis Judicialis respectu denunciati, de quibus vide infra §. seq. num. 130.

§. II.

De Denuntiationibus.

S U M M A R I U M.

- 58 Desinitur Denuntiatio.
- 59 Alii eam dividunt in Evangelicam, & Canonice, & Civilem; melius tamen dividitur in Evange- licam & Judicialem.
- 60 Denuntiatio Evangelica quid? fieri potest Super- riori patri privato, & ut patri communi.
- 61 Vocatur etiam Paterna, & Charitativa & Fraterna: ejus finis quis?
- 62 Denuntiatio Evangelica ut licite fiat, debet praemi- nari monitio, seu correctio fraterna.
- 63 Idque Jure Divino & naturali.
- 64 Omittens eam peccat.
- 65 Limitatur I. Si crimen jam est notorium, aut ma- nifestum, aut famosum.
- 66 Publice commissis crimina publice puniri debent. Ibid.
- 67 Limitatur II. Si crimen vergit in damnum com- mune, vel tertii, quod monitione secretâ certo averti non potest.
- 68 Limitatur III. Si pravia monitio nihil profuturâ videtur.
- 69 In delictis nocivis Communitati vel tertio, requi- ritur moralis certitudo effectus ad hoc, ut tenetur prius monere.
- 70 Limitatur IV. Si correctio aut monitio pravia esse moveat prejudicio.
- 71 Limitatur V. In Religionibus, in quibus vi Statu- torum potest, & debet fieri Denuntiatio absque pravia monitione secretâ, uti in nostrâ.

- 71 VI. Universaliter in quavis Religione.
- 72 Ordinarie loquendo.
- 73 Ad denuntiationem faciendam in Societate IESU, & Religione nostrâ nunquam praequiruntur moni- tio fraterna: in aliis Religionibus varisunt: in Saeculo raro.
- 74 Si crimen occultum, nemini nocivum Evangelice denuntiat, tenetur Superior se accommodare petitioni denuntiantis.
- 75 Secus, si Evangelice denuntiat crimen jam publi- cum: tunc enim ex officio inquirere, aut De- nuntiantem mandare potest, ut judicialiter denun- tiet.
- 76 Idem est, si crimen est nocivum Communitati, vel tertio.
- 77 Denuntiare Evangelice quisvis potest, etiam infan- tis &c.
- 78 Et quidem quodvis peccatum occultum etiam nemi- ni nocivum.
- 79 Imo tenetur quisvis denuntiare Evangelice.
- 80 Et quomodo? Remissive.
- 81 Debet subinde fieri Denuntiatio Judicialis. Re- missive.
- 82 Dantur causae excusantes a Denuntiatione Evan- gelica.
- 83 Denuntiatio Judicialis quid?
- 84 Alia est publica, alia privata.
- 85 Inhabilis ad accusandum, etiam est inhabilis ad denuntian- dum. Et qui nequit accusari, nequit etiam judicialiter denuntiare.
- 86 Contraria opinio & praxis.
- 87 Que in ordine nostro non procedit.
- 88 Judicialiter denuntiare non possunt Patres graviores ab infima plebis hominibus. Ibid.
- 89 Omnia delicta etiam occulta, & nulli nociva Iudicialiter denuntiare possunt; dammodo probari valeant.
- 90 Non item penitus occulta, & quae probari nequeunt; nisi sint prejudiciofa.
- 91 Delictum, quod praeter Delinquentem unus solus scit, denuntiare Judicialiter nequit.
- 92 Quid faciendum in praxi, si duo tantum sciunt delictum? Ibid.
- 93 Et quid, si praeter unum scientes adfuerint iudicia?
- 94 In dubio, an Judicialiter quid denuntiare possit aut debeat: quid faciendum?
- 95 Delicta, prejudiciofa etiam occulta, judicialiter denuntiare possunt, & debent. Remissive.
- 96 Ad Denuntiationem rite faciendam requiruntur eadem fere, quae ad Accusationem: Et quae illa in specie?
- 97 Denuntiator judicialis tenetur denominare testes, & probationis media suggerere iudici.
- 98 Denuntiator non tenetur probare, sed tantum tes- tes nominare, & media probationis suggerere, & iudici probationem relinquere: secus est in Accusatore.
- 99 Concordat cum dictis praxis Criminalis nostrae Or- dinis.
- 100 Ad valorem Denuntiationis judicialis non requi- ritur pravia monitio, vel correctio Evange- lica.
- 101 Confirmatur ex sine illius.
- 102 Confirmatur ulterius.
- 103 Solvuntur Jura contraria.
- 104 Que etiam quid probarent, jam essent abrogata consuetudine.
- 105 Num etiam licite fieri possit Denuntiatio Judi- cialis sine pravia monitione?
- 106 Cause excusantes a monitione pravia in De- nuntiatione Evangelica excusant etiam in Judi- ciali.
- 107 Etiam ad licite faciendam Denuntiationem ju- diciali.

- 106 Delictum Communitati, aut tertio prejudiciosum etiam tenetur quis Judicialiter denunciare.
- 107 Nisi certa spes appareat, damnus sola Evangelicâ denuntiatione impediri posse.
- 108 Si tamen tale delictum probari nequit, non tenetur quis strictè judicialiter.
- 109 Bene vero minus strictè judicialiter, nempe indicare Judici ad hoc, ut vigilet, inquireat, & damnus avertat.
- 110 Probatum ratione.
- 111 Confirmatur per declarationem Cardinalium.
- 112 Monitio ad Judicem, & Denuntiantem tale crimen.
- 113 Delicta notoria, manifesta & famosa etiam soli peccanti noticia Judicialiter denunciari debent.
- 114 Tenetur etiam Superior ex officio de illis judicialiter inquirere.
- 115 Etiam occulta nemini noticia delicta debent subinde Judicialiter denunciari.
- 116 Deductio practica ostendens, quod sæpe præsertim in Religione fieri debeat denuntiatione Judicialis.
- 117 Delicta publica & privata in ordine nostro qua?
- 118 Compendiosa notitia, quando & quomodo possit, aut tenetur quis denunciare: & quando excusetur usque ad n. 125.
- 119 Facta Denuntiatione judiciali, tenetur Judex inquirere, & processum formare.
- 120 Si denuntiatione rite fiat.
- 121 Si suspicio est, ne Reus fugiat, aut testes subornet, impediatur &c. potest etiam post citationem carcerari custodia causa.
- 122 Quod apud nos fieri debet cum consilio Peritorum in Conventu.
- 123 Ad quid tenetur Denuntiator, præsertim si crimen non probetur?
- 124 Denuntiatum Judicialiter pendente Denuntiatione non potest promoveri ad dignitatem, honorem, ordines, nec potest esse testis, nec alium accusare &c. usque ad n. 133.
- 125 Limitatur I. Si crimen non est grave: crimen grave, & leve quid?
- 126 II. Si apparet Denuntiationem ex calumnia fieri.
- 127 III. Si non sit requisita forma.
- 128 IV. Si non criminaliter, sed tantum civiliter intentatur.
- 129 V. Post lapsum unius anni.
- 130 Denuntiatione & Accusatio non impediunt officii aut dignitatis prius habitum administrationem & jurisdictionem.
- 131 Excepta causa, & negotio, in quo Denuntiatione; & causa dilapidationis.
- 132 Accusatio, & Denuntiatione accusatum non faciunt inelutibilia.
- 133 Nisi infamia præcesserit.
- 134 Reus legitime interrogatus sub peccato mortali tenetur fateri veritatem.
- 135 Reus confessus, vel convictus condemnatur ad penam ordinariam.
- 136 Ad quam tamen condemnari nequit, nisi adfuit plena probatio.
- 137 Bene vero ad extraordinariam.
- 138 De probatione criminis, remissive.
- 139 Quid sit Denuntiatione Canonica?
- 140 Ad eam quinam teneantur?
- 141 Quid sit denuntiatione civilis? Et quid Juris de ea?

150 **Q**ueritur I. Quid, & quotuplex sit Denuntiatione? Resp. I. Denuntiatione est criminis alicujus delatio, seu manifestatio sine inscriptione apud Superiorem legitime facta. Ita in re communis. Dici-

tur delatio, seu manifestatio criminis loco generis, in quo convenit cum Accusatione. Dicitur sine inscriptione, loco differentie. In hoc enim principaliter differt Denuntiatione ab accusatione, quod Denuntians non tenetur ad subscriptionem, seu ut sub pena Talionis se obliget ad probandum, prout tamen requiritur in Accusatione juxta dicta §. præced. numero 10. Dicitur apud Superiorem; quia quantumvis crimen alicujus manifestetur aliis, si Superiori non manifestatur, Denuntiatione non est; licet ad quamlibet Denuntiationem non requiratur, ut fiat Superiori, quâ tali, sed potest fieri eidem tanquam patri: prout patet in Denuntiatione Evangelica, de qua statim infra. Additur legitime facta: Licet enim Denuntiatione non tantas requirat solemnitates, quantas Accusatio, tamen aliquas requirit, juxta dicenda infra.

Resp. II. Quamvis Denuntiatione à variis variè, & quidem frequentius dividatur in Evangelicam, Canonicam, & Civilem: cui addunt aliqui Regularem. Optima tamen, & clara, praxique interviens est divisio, quæ eam in Evangelicam (quæ etiam Paterna, Fraternalis, & charitativa dicitur) ac in Judicalem dividit cum compuni T. D. Antoninus p. 3. tit. 19. cap. 9. quos sequitur Armeno in Pract. Crimin. Conclusio patet ex natura harum Denuntiationum, quæ per ultimum quaesita declarabimus, incipiendo ab his ultimis duabus principalibus.

Quæritur II. Quid sit Denuntiatione Evangelica? seu, quod idem est (Paterna, Fraternalis, Charitativa?) Quæ requirantur ad eam? & quomodo fieri debeat? Resp. I. Denuntiatione Evangelica est, quæ fit Superiori tanquam patri non ad publicam vindictam, sed ad emendationem, & paternam correctionem Delinquentis denuntiati. Hæc definitio communis est, & clara, indeque nec probatione nec declaratione indiget. Solum notandum, hanc Denuntiationem fieri posse Superiori tanquam patri privato, vel tanquam patri communi. Priori modo, seu patri privato fit, quando Denuntians accedit Superiori, eique secretò denuntiat crimen fratris rogando, & instando, ut illum non nisi secretò, ac nemine sciente moneat, corrigat, vel paternè puniat, & ad emendationem perducat, crimen illius nullatenus pendendo. Alio modo, seu tanquam patri communi fit, quando Denuntians vult, & insistit, ut Superior denuntiationem, etiam coram aliis, vel in publico Capitulo Fratrum (quorum omnium pater communis est Superior) sed tamen non nisi charitativè, & paternè moneat, corrigat, ac castiget, atque ad meliorem frugem reducat: ut bene observat Practica Roderici.

Finis Principalis hujus Denuntiationis est emendatio, & resipiscencia Delinquentis, quæ ex charitate fraternali erga eundem principaliter intendit Denuntians. Vocatur Denuntiatione Evangelica; quia in Evangelio præscripta habetur: item Paterna, quia fit Superiori tanquam Patri, & non Judici: item Fraternalis & Charitativa; quia non ad vindictam, sed emendationem, & bonum Delinquentis, ac fraternali charitate tendit.

Resp. II. Ad hoc, ut Denuntiatione Evangelica ritè & debite fiat, necessariò requiritur prævia duplex monitio seu correctio fraternalis Delinquentis per Denuntiantem faciendâ; una privatim, & in secreto nemine præsentem; altera coram uno, vel duobus testibus, si peccatum est occultum, & nemini præjudiciosum, simulque probabilis appareat spes, quòd sola prævia monitione sine præjudicio Denuntiantis, emendatio Delinquentis, fit

fit secutura. Ita communis tam Canonitarum, quam Theologorum. Patetque ex claro textu Evangelii Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripere eum inter te, & ipsum solum: si autem te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos; quòd si non audierit eos, dic Ecclesia: quæ verba, quia ponuntur imperativo modo, vim præcepti habent, teste communi T. Concordat can. Si peccaverit. 19. can. 2. q. 1.

63 Quin imò hoc præceptum non solummodò est Divinum positivum, sed etiam naturale; quia correctio proximi ex præscripto luminis naturalis est faciendâ cum minimo, quantum fieri potest, damno ipsius corrigendi, & bonæ famæ ejusdem; ad hoc enim obligat lex de dilectione proximis; ergo si crimen potest emendari correctione prævia fraternali, male revelatur, & denuntiatur Ecclesie; seu Superiori; cum inde apud hunc saltem lædatur fama Delinquentis. Unde bene dicitur cit. can. Si peccaverit. 19. can. 2. q. 1. Si solus nos, & vis eum revelare, jam non est corrector, sed proditor. Accedit, quòd generaliter in lege Evangelica nullo præceptum Divinum continetur, quod non sit Juris naturalis, præter præcepta de Sacramentis, & de Fide; prout passim faterentur Doctores cum D. Thoma 1. 2. q. 108. a. 1. & 2.

64 Inferitur proin, quòd pro qualitate materiæ & circumstantiarum graviter vel leviter peccet, licet rarò juxta dicenda infra num. 37. non observatò modò per Evangelium præscriptò, etiam paternè tantum apud Superiorem denuntiat occultum nemini præjudicans trimen delinquentis, de quo probabilis spes erat, quòd illud non amplius esset perpetraturus, aut se ad secretam præviam correctionem Evangelicam efficaciter emendaturus.

Dicitur autem notanter in conclus. n. 62. posita, si crimen est occultum, nemini præjudicans &c. Limitatur enim I. Conclusio num. 62. posita, & licitum, imò perpèrè obligatorium est, Delinquentem sine ulla prævia monitione Evangelica non tantum charitativè, sed etiam Judicialiter (juxta dicenda infra) denuntiare Superiori, si crimen illius non amplius est occultum, sed jam manifestum, notorium, & publicum. Ratio est; quia tunc jus ad famam amisit Delinquens. Nec amplius urget textus Evangelii, qui præcipit ordinem præfatum tunc tantum, Si peccaverit in te, id est, si te solo sciente peccavit; prout explicant communiter DD. & concordat. cit. can. Si peccaverit. 19. can. 2. q. 1. ibi: Quid est peccavit in te? tu scis, quia peccavit; sicque tu solus, & nullus alius per notitiam suam modo læsus es; consequenter si alii præter te sciant jam non solum in te, sed & in alios peccavit, sicque favorem Evangelii non amplius meretur. Hinc dicit Apostolus 1. ad Timoth. 5. Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant. Et Augustinus relatus can. quis aliquando §. Hæc ergo de panis. dist. 1. ibi. Publica noxa, publico eget remedio. Concordat Concilium Trident. Sess. 24. de Reformat. cap. 8. quibus adde dicenda infra §. V. d. num. 253.

Limitatur II. Si crimen vergit in præjudicium, vel damnus Reipublicæ, ut hæresis, proditio, falsificatio monete &c. Vel tertio privati, v. g. in ipsius cædem, incendium, ruinam spiritualem &c. quod secretâ monitione averti non potest. Sanchez lib. 6. Consil. cap. 2. dist. 5. n. 2. & 5. Item lib. 6. Moral. cap. 18. num. 50. dicens ita docere omnes. Ratio est: tum quia bonum commune prævalet privato: tum quia delinquentis non habet jus ad famam in malo supposito fundatam cum injuria & præjudicio tertii; cum utique melior sit conditio dam-

num patientis, quàm inferentis: tum etiam, quia qui sic occultè peccat, non solum in te, sed etiam in alios peccat, consequenter favoris & ordinis Evangelii particeps non est.

Limitatur III. Si prævia correctio, aut monitio nihil profutura videtur. Communis & certa, arg. can. Si quis, 4. dist. 7. de Penit. ibi. Si scirem, non tibi prodesse, non te moverem. Ordinarie autem nihil proficeret prævia secretâ monitio, si Delinquens est majores conditionis, aut dignitatis; talis enim inferiorem corrigentem spernit, vel parùm curat: vel si in malo jam est habituatus, aut superbus, aut teste experientiâ monitionibus non acquiescens: nam talibus & similibus in casibus monitio ordinariè plane nihil proficeret, sed sæpe plus noceret, ut pote id causans, ut delinquentis impofterum magis occultaret sua delicta, cautius incederet, sicque frequentius ac impunitè peccaret, & consequenter periret.

Ubi etiam illud cum Palao de Charit. Fr. 6. Dist. 3. pun. 13. n. 7. advertendum, quòd, licet aliqui teneant, etiam in occultis peccatis, quæ in præjudicium tertii vergunt, esse servandum ordinem Evangelicum, & præmittendam monitionem præviam, fateantur tamen iidem, in his peccatis necessariam non esse monitionem, nisi adlic certitudo moralis, ac spes certissima per secretam monitionem omnia profus damna, ac præjudicia proximi tam præterita, quàm futura fore avertenda. In peccatis autem occultis soli Delinquentis noticiis sufficiat probabilis spes emendationis per secretam monitionem obtinendâ.

Limitatur IV. Quando monitio ac correctio charitativa prævia ipsi monenti aut corrigenti damnosa vel præjudiciosa esset futura, ut si ex tali monitione rationabiliter timeret offensam personæ delinquentis, quæ aliàs obesse & prodesse potest Denuntianti & monenti: quia lex charitatis non obligat, ut quis cum periculo proprii damni agat, quo parcat famæ alterius. Palao loc. cit. pun. 14. num. 7.

Limitatur V. In Religionibus, in quibus vitatorum defectus, seu delicta graviora sine ulla monitione prævia denunciari debent Superiori, uti in Religione nostra Scraphica, cujus statuta Generalia cap. 10. §. 1. m. 2. & 3. graviter præcipiunt, ut quivis notabiles alterius excessus, quos extra confessionem scit, Superiori denuntiet, etiam sine prævia monitione: imò præcipiunt, ut denuntiet, etiam in secreto Delinquentem jam fraternali correxerit, uti patet ibidem ex textu: Insuper statuis, ut cum primùm fratres ad Conventum redierint, sociorum excessus notabiles, si quos commiserint, Guardianis atque Superioribus secretò innuere tenentur: quòd si excessus hujusmodi alio tamen modo eis immoerit, quàm per Confessionem Sacramentalem, non propterea minus tenentur manifestare illos, maxime cum per obedientiam fuerint requisiti; quia hoc Sacramentali Confessione non præjudicat; quin imò si tacerint, inobedientiam notam incurvant, & si contrarium asserere præsumpserint, & moniti revocare noluerint, acibus legitimis careant. Superiorum arbitrio, & perseverantes in sua contumacia carceribus etiam mancipentur, & gravius puniantur. Si quis præterea ausus fuerit dogmatizare, quòd frater, qui fratrem in occulto secundum Evangelium corripuerit, non tenetur de hujusmodi excessu Superiori admonere, quamvis ab eo per obedientiam requiratur, vel quòd Socii criminum socios non teneantur revelare Superiori, qui potest, & debet omnibus prodesse, & animarum periculum providere, declaramus, doctri-nam hanc pestiferam esse, ac in perniciem Ordinis & Regularis disciplina tendere, ac propterea taliter doguimus.

dogmatizantes, non modo a tribus legitimis privandis, verum etiam a tribus mancipandos esse decernimus, & jubemus.

71 Limitatur à pluribus DD. VI. Universaliter in cunctis Religionibus, ita ut in his nunquam necessaria sit correctio aut monitio fraterna, seu Evangelica prævia, sed ordinariè loquendo absque illa quodvis etiam occultissimum, & soli delinquenti nocens delictum statim paternè denuntiari possit Superiori; dummodo extra Sigillum Confessionis, & sine secreto naturali illud sciat Denuntians. Ita docent Sanchez lib. 6. Moral. cap. 18. num. 46. & 50. Castro Palao de Charit. tr. 6. Disp. 3. pun. 10. num. 2. & 3. citans Coninck 2. 2. Disp. 28. dub. 11. num. 202. Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 9. num. 11. Layman. lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. a. num. 5. ac plurimi alii cum à Sanch. nu. 46. tum à Laymano num. 5. §. præterea, ad finem citati. Ratio est; quia ordinariè loquendo, Superior melius & efficacius potest corrigere, monere, & emendare delinquentem, quam subditus; Tum quia Superior faciliè potest removere occasiones, quod non potest subditus: Tum quia monitio, seu correctio paternæ Superioris magis movet, & terret delinquentem, præsertim si eadem minatur, quod ei invigilare, & deprehensum publicè procedere velit: Tum quia Delinquens difficilius simulat Prælato emendationem, quam subdito: atqui quando emendatio Delinquentis magis speratur per correctionem, seu monitionem Paternam Superioris, quam subditi, potest hic absque ulla monitione prævia Delinquentem statim denuntiare paternè. D. Bonaventura, D. Thomas, cum communiore, & veriori aliorum docet, & latè probat Sanchez loc. cit. num. 46. Accedit, quod delicta Religionum ordinariè cedant in præjudicium & damnum temporale, vel spirituale Religionis, vel tertii privati: talia autem peccata juxta omnes absque ulla prævia monitione possunt denuntiari Superiori, juxta dicta num. 66. ergo. Unde bene argumentatur Suarez apud Layman. loc. cit. §. Deinde: vel peccatum Religiosi leve est, tunc infamatio sequens ex Denuntiatione apud Superiorem erit levis, utilitas vero plerumque major eveniet, præterquam quod consuetudo denuntiandi delicta parva Regularium, velle consentanea, & quasi necessaria sit Religiosi status conservationi, vel augmento. Vel peccatum Religiosi est grave, tunc vix fieri potest, quod non noceat multis propter magnam familiaritatem, que inter Religiosos ejusdem Domus est: sæpè etiam impendit periculum famæ ipsi Religioni, quare tale peccatum denuntiari potest tanquam perniciosum; inò sæpè debet, præsertim si Prælatus interrogat.

72 Dicitur tamen notanter Ordinariè loquendo; quia negati non potest, quin dari possit casus, quod etiam in Religione teneatur quis prius fraternè monere, antequam Superiori paternè denuntiet; si nempe certè apparet, quod sciens occultum soli delinquenti nocivum delictum æquè idoneus sit ac Superior ad efficaciter emendandum delinquentem; prout Sanchez & Laym. loc. cit. bene advertunt, addentes tamen, id raro contingere. Adde id contingere non posse in Religionibus, in quibus vi statutorum sine prævia monitione Superiori paternè denuntiari possunt, vel debent, prout sunt Societas JESU, & Religio nostra Seraphica, juxta dicta num. 70. & 71.

73 Inferitur, quod ad faciendam Denuntiationem paternam Superiori in Societate JESU, & Religione nostra nunquam, in aliis Religionibus rarissime, & vix unquam; apud Seculares etiam raro præterquatur correctio, seu monitio fraterna,

seu Evangelica quia etiam in Saeculo plerumque, & ferè ordinariè adest una ex limitationibus à nu. 65. politis, à fraternà tali monitione excusationibus.

74 Queritur III. Quomodo in praxi habere se debeat Superior, vel Judex facti sibi Denuntiatione Evangelicæ, seu præsertim, an etiam & quomodo ratione illius possit intuiere Processum Criminalem ad publicam vindictam Delinquentis? Resp. I. Si delictum est occultum, & nemini præjudiciosum, Superior seu Judex debet se accomodare juxta & rationabili intentioni, seu petitioni Denuntiantis, illiusque modo denuntiandi. Ita ut si hic eidem solùm ut patri privato crimen Delinquentis denuntiat, volens, quod eum non nisi fecerit, nemine, vel non nisi uno alterove taciturno præsentem moneat, corrigat, aut puniat, si que emendare conetur, id omnino observare debet Superior aut Judex, ad id ut graviter peccaret, si Denuntiatum publicè confunderet, aut puniret. Communis, arg. can. Si peccaverit. 19. can. 2. q. 1. Ratio est; quia aliàs injustè, & graviter diffamaret subditum; consequenter graviter peccaret, nec paternus Corrector, fed injustus proditor esset, cit. can. si peccaverit &c.

75 Resp. II. Si crimen jam est notorium, aut majori parti Communitatis cognitum, non est necesse, ut Superior juxta petitionem Denuntiantis corrigat, vel puniat Denuntiatum, sed potest, inò plerumque tenetur etiam Processum Criminalem contra Denuntiatum instituere per modum Inquisitionis, maxime si delictum est scandalosum, Ludov. de Ameno in Praxi Crimin. Tit. 9. §. Denuntiatio. §. num. 7. Ratio est; quia hoc ipso, quod delictum occasione Denuntiationis Evangelicæ resciat notorium, ex officio de illo inquirere, si que per modum Inquisitionis Processum instituere potest, & exigente bono communi tenetur, per dicenda infra §. VI. num. 305. & seq. quamvis nullam de facti sibi Denuntiatione Evangelicæ mentionem in Processu facere, neque Processum vi Denuntiationis Evangelicæ, sed vi officii sui per inquisitionem formare valeat, quo casu potest etiam Denuntiantem pro teste adhibere, aut si mandare, ut Judicialiter denuntiet, adhortari, juxta dicenda infra. Et hinc in præcedenti Conclusionem notanter dictum est: Si crimen est occultum.

76 Resp. III. Pariter Superior non tenetur ad petitionem Denuntiantis Evangelicè seu paternè procedere, sed potest statim ex officio inquirere, aut Denuntianti mandare, ut Judicialiter denuntiet, si delictum vergit in præjudicium communitatis vel Tertii. Communis. Ratio patet; quia cum in tali casu subditus Judicialiter denuntiare teneatur per dicenda infra num. 106. irrationabiliter petit solum Denuntiationis Evangelicæ effectum, consequenter exandiri non debet, sed potius ad satisfaciendum obligationi sine urgeri potest, & debet juxta dicenda infra num. 308. Unde dictum etiam est in Conclusionem num. 74. Nemini præjudiciosum.

77 Queritur IV. Quinam, & quæ peccata saltem Evangelicè denuntiare possunt, vel etiam debeant? Resp. I. Quilibet rationis capax etiam infamis, mulier, vel aliàs ad accusandum inhabilis, servatis servandis facere potest Denuntiationem Evangelicam, etiam si juraverit, se non denuntiatum. Omnes, & c. Quemadmodum. 26. §. fin. de Jurjur. Ratio est; quia cum hæc Denuntiatio non intendat vindictam Delinquentis, sed bonum, & emendationem ipsius, seu ut anima illius salvetur, utique per quemvis fieri potest, cum non referat, quis denuntiet, dummodo animam fratris

fratris quis lucretur, arg. c. In omni, de Testib.

78 Resp. II. Quodvis peccatum etiam occultum, & nemini, quam soli peccanti nocivum denuntiari Evangelicè potest. Rursus communitis, patetque clarè ex allegato textu Math. 18. ubi per verba: Si frater tuus peccaverit in te, principaliter intelliguntur o-culta, & non nisi uni præter Delinquentem nota, arg. can. Si peccaverit. can. 2. q. 1.

79 Resp. III. Quilibet non tantum potest, sed etiam tenetur saltem Evangelicè denuntiare crimen quodcumque alterius, Abbas in c. Novit. de Judiciis, num. 34. cum communi. Probatur ex claro textu Math. 18. ubi, quia indistinctè præcipitur, ut peccata proximi indicentur Ecclesiæ, id est, Superiori, indistinctè obligat.

80 Utrum autem cum vel sine monitione seu correctione prævia fieri possit, vel debeat, vide dicta à num. 62.

81 Dicitur saltem Evangelicè; quia dantur casus, in quibus non sufficeret tacere Denuntiationem Evangelicam, sed necesse est facere judicialem, juxta dicenda infra n. 106.

82 Dantur tamen casus excusantes ab obligatione Denuntiationis Evangelicæ; ut si nihil profutura, vel majus damnum allatura, aut Denuntianti præjudiciosa fututa videtur, de quo magis TT.

83 Queritur V. Quid & quotuplex sit Denuntiatio Judicialis? A quo, contra quos, & de quibus criminibus fieri possit? Resp. I. Denuntiatio Judicialis est, quæ fit Superiori tanquam Judici, judicialiter propter procedendi, ut quod etiam hæc Denuntiatio Judicialis dicitur. Est in re communis: nec indiget declaratione, utpote clara ex terminis.

84 Resp. II. Hæc Denuntiatio alia est privata, alia publica. Privata est, quæ Denuntians solum proprium interesse, damni sui reparationem, aut debiti satisfactionem, non verò publicam vindictam querit & intendit, licet occasione illius Judex subinde etiam ad publicam vindictam procedat. Abbas in c. Novit. 13. de Judiciis, n. 43. Pirhing b. t. num. 87. Publica est, quæ principaliter fit ad publicam vindictam, seu punitionem delinquentis in aliorum exemplum; quæ Denuntiatio vel à Ministris publicis ad hoc deputatis fit, arg. l. Ea quidem 7. de accus. & propterea à nonnullis publica dicitur, vel ab alio etiam privato, ad accusandum tamen habili. Et hæc publica Denuntiatio proprie est, ac dicitur Criminalis, utpote Criminalem Processum, & publicam vindictam intendens. Privata verò potius Civilis est, & dici debet, cum vi illius non Criminaliter ad vindictam publicam, sed præcisè ad interesse proprium ipsius Denuntiantis procedatur; uti post Layman. lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 4. n. 1. Pirhing b. t. num. 87. Alii verò Denuntiationem privatam vocant illam omnem, & solum, quæ non fit à Ministro publico ad denuntiandum deputato, sed ab alio, sive dein criminaliter, sive civiliter denuntiet. Publicam verò vocant illam omnem & solum, quæ fit à Ministro publico, sive civiliter, sive criminaliter fiat. Dein quamlibet harum dividunt in criminalem, & civilem. Hæc est, quæ ad proprium aut aliorum interesse privatam fit: Criminalis verò, quæ ad vindictam publicam instituitur. In præsentia, & subsequentibus erit potissimus sermo de Denuntiatione judiciali criminali.

85 Resp. III. Inhabilis ad accusandum, est etiam inhabilis ad faciendam Denuntiationem judicialem publicam, seu criminalem, ad publicam nempe vindictam. Et qui non potest accusari, non potest judicialiter denuntiari. Bart. in l. Divus. num. 3. ff. de Custod. reor. speculat. h. t. §. Quis possit. Verj. Ca-

nonica, cum communiore arg. c. cum Dilectus. 20. b. t. Ratio est; quia hæc Denuntiatio habet eundem finem, & principalem effectum cum Accusatione publica, nempe vindictam ob bonum Communitatis, in exemplum aliorum, agiturque vices Accusationis. Hinc valet argumentum ab accusatione ad Denuntiationem; & vice versa. Salicet. in l. 7. n. 11. C. h. t.

86 Notat tamen Ludovicus Ameno Tit. 9. §. De-86 nuntiatio. §. 3. num. 15. Ex communi Tribunalium praxi, ac recepta consuetudine hodie quemvis, licet aliàs inhabilem admitti ad Denuntiationem judicialem etiam publicam, seu criminalem, eò quod per Denuntiationem solum sterfatur via ad inquirendum.

87 Verùm in ordine nostro Conclusio adhuc habet locum; quia in forma Processus nostri criminalis (quam sub poena nullitatis sequi tenetur juxta statuta generalia cap. 10. §. 1. num. 11.) expressè habetur: Inhabilis ad accusandum, est etiam inhabilis ad denunciandum Judicialiter. In eodem nostro processu Criminali ulterius cavetur circa denuntiandos, illis verbis: Adversus Prælatos magni nominis viros ab infima plebis hominibus Denuntiationes nullo pacto recipi debent, sed contra ipsos ut plurimum per Accusationem procedendum est. Ubi per Prælatos intelliguntur Generales, Provinciales, Diffinitores, Guardiani, quibus etiam ad hunc effectum annumerantur Patres Ordinis, & Provincie, Lectores Jubilati, & Generales, Prædicatores Clarissimi, uti patet ex processu criminali, §. Accusatio. §. 6. Per infima plebis homines autem in ordine intelliguntur servitiales Monasterii, Tertiarii, Laici conversi, simplices Patres, vel tales, qui ratione inhabilitatis ad nullam ordinis dignitatem, aut officium honorificum applicari possunt; uti bene notat Ameno §. Denuntiatio. §. 4. n. 20.

88 Resp. IV. Omnia crimina etiam merè præterita, & jam emendata, nec amplius committenda, tam privata, quam publica; tam aperta, quam occultata, & de quibus nulla adhuc exiit infamia delinquentis (dummodo probari valeant) judicialiter denuntiari possunt. Fagnanus in c. qualiter. 24. h. t. num. 72. Passerinus in Tribum. Regul. q. 7. a. 3. num. 15. Layman. lib. 3. tr. 3. cap. 4. n. 13. citans Lessium lib. 2. cap. 30. dub. 3. Petrum Navarr. lib. 2. cap. 3. num. 254. D. Thomam, Sylvestrum, & alios, arg. can. præcipis. 3. in fine. cau. 11. q. 3. can. Si tantum can. Placuit. 3. can. 6. q. 2. cau. Plerumque 27. cau. 2. q. 7. Ratio est; tum quia publicitas; seu infamia delicti tantum requiritur ad Processum mediâ Inquisitione instituendum, arg. c. Inquisitionis 2. §. c. qualiter 24. h. t. ubi infamia supplere debet vices Accusationis, sine quo nullus condemnari debet cit. c. 24. h. t. & can. Si quis 31. can. 23; q. 4. Secus in Denuntiatione, utpote in qua ipse Denuntiator accusatoris vices supplat, licet per inscriptionem ad probandum se non obliget. Tum quia Denuntiatio Judicialis principaliter non respicit bonum Delinquentis, & ejus emendationem; sed publicam vindictam delinquentis in exemplum, & terrorem aliorum, idque ob bonum publicum, ut videlicet ceteri publicè delinquentis poenâ deterriti, delinquere desinant, vel omittant. Hinc etiam Denuntiatio judicialis non attendit durantem adhuc bonam delinquentis famam; quia hæc tanquam bonum privatum bono publico, seu communi, quod ex justitia vindicativa sequitur, postponendum est; uti post D. Thomam bene advertit Passerinus loc. cit. num. 17. arg. c. Licet de Regular. Præsertim, quia aliàs mali-tiosi homines cum ingenti communis boni damno ac præjudicio audaciores & frequentiores essent

in delinquendo, si nec accusari, nec judicialiter denuntiar...

Dicitur autem notanter in conclusione, Dummodo...

Resp. V. Crimen omnino occultum, aut saltem ita occultum...

Imò nec potest Judex recipere Denuntiationem Judicalem...

Ex quo inferitur, delictum soli Delinquenti non posse...

IV. Requiritur, ut exprimat dies, & à fortiori...

V. Requiritur, ut Denuntiator denominet testes, & probationes...

Et in hoc etiam differt Denuntiatione ab Accusatione...

Insuper pro praxi advertendum, etiam in casu, quo...

Potè in dubio, an quis Judicialiter denuntiare valeat...

intelligere, quid fieri oporteat, aut debeat, utique optimum...

Ceterum notanter dicitur in conclusione m. 89. 93 polita...

Quæritur VI. Quomodo fieri debeat Denuntiatione Judicialis?

Resp. I. Ad Denuntiationem Judicialem ferè eadem requiruntur...

IV. Requiritur, ut exprimat dies, & à fortiori...

V. Requiritur, ut Denuntiator denominet testes, & probationes...

Et in hoc etiam differt Denuntiatione ab Accusatione...

Insuper pro praxi advertendum, etiam in casu, quo...

Potè totum hoc de requisitis ad Denuntiationem...

hali Ordinis nostri Tit. 9. §. Denuntiatione, §. 3. illis verbis...

Resp. II. Ad valorem Denuntiationis Judicialis nullatenus requiritur...

Confirmatur ulterius ex sine principalis Denuntiationis Judicialis...

Confirmatur. Omnes Doctores, etiam illi, qui volunt...

Confirmatur. Omnes Doctores, etiam illi, qui volunt, ad Denuntiationem...

Confirmatur. Omnes Doctores, etiam illi, qui volunt, ad Denuntiationem...

vel aliquo alio solo sciente, peccavit, sicque uni soli per peccatum...

Nec obstant Jura, & Canones, quos pro se citant Adversarii...

Dein respondetur ulterius, quòd si de Jure ad valorem Denuntiationis...

Nec dicas, Jus Canonicum requirens monitionem præviam...

Dicitur autem notanter in Conclusionibus m. 103 98. polita...

Resp. II. Omnes causæ vel circumstantiæ, ob quas juxta dicta...

104

104